



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118642

§. 63. Parisienses præ ceteris primi huic fœderi adhærentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI. Catholicam tuendi, hæresesque extir-
A.C. 1576. pandi desiderio, Hispaniæ vero Rex
belli tumultus, qui ex hoc foedere in
Galliis orirentur, in rem suam verten-
di studio ad amplectendum hoc consi-
lium adigebatur: interea vero Lotha-
ringius Cardinalis vivis eripiebatur.

§. LXIII.

*Parisienses præ ceteris primi huic fo-
deri adherentes.*

Thu. l. 63.

Hoc consilium executurus juvenis Gui-
sius Dux factionem sibi conciliare
nitebatur, cujus potentia fretus potif-
simam Galliarum partem subjicere pos-
set, porro cum nuperum edictum a Re-
ge promulgatum ad inchoandum hoc
foedus opportunam occasionem suppedi-
tare crederet, seque illius caput nomi-
nandum speraret, hinc per suos emissar-
ios populis exponebat, quod postrema
hæc concordie pacta nequaquam feren-
da sint, ac proin adversus ea conqueri
debeant, eorumque querelas virium po-
tentia, atque auctoritatis pondere suf-
fultum iri sciant. Eadem hæc ratio-
num momenta præprimis Parisiensibus
proponerentur in quodam ferventi col-
loquio, quod quidam Unguentarius no-
mine Petrus Bruyerus habebat, ipse
enim, ejusque Filius Matthæus Curie
criminalis Consiliarius præ ceteris pri-
mi

mi hoc fœdus promulgabant: postea vero præter quamplurimos licentioris vitæ homines, etiam plures, iique prædivites cives, minus puro veræ religionis studio accensi sese hisce seditiosis adjugebant, cumque ex illis unus, qui ceteris magis teneræ erat conscientiæ, priusquam huic societati nomen daret, tempus deliberandi peteret, ac Thuanum primum Præsidentem in consilium vocaret, hic ejusmodi rem damnavat, civesque, ut resisterent, hortabatur: quapropter illius executio aliquamdiu differebatur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1576.

§. LXIV.

Fœdus in Picardia amplo successu gloriosum.

Guifius Dux juncta Cenomanensis Ducis, & Guifii Cardinalis Fratrum suorum opera in Provinciis rem urgere satagebat, atque inter ceteras præcipue in Picardia hæc armorum societas ampliores fecerat progressus, quorum autem causas huc recensere lubet; quippe inter secretos nuperæ pacificationis articulos Rex Condæo Principi promiserat, ut non modo Picardiæ regimine integre frueretur, sed insuper Peronam urbem præsidio regis sumptibus alendo firmatam tanquam securitatis asylum teneret, ut ergo hic Princeps hanc

Thuan. Es
Avila l. c.
Memb. l. 2.

Y 4

Præ-